



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 10. Hoc scriptum ad Pontificem per Legatos delatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæc. XVI. *examine se eo dignum præstat, non autem*
A.C. 1547 *ad Ordinarii voluntatem.*

IX. Beneficia curata deinceps non conferenda, nisi examine, & inquisitione præeunte.

X. Nemo ad Ecclesiam Cathedralē promovendus, nisi inspectione prius in ipso loco facta, saltem circa natales, vitam, & mores.

XI. Nullus Episcopus in aliena diœcesi potest ordinare sine venia Ordinarii, neque alios, quam qui ex eadem sunt Diœcesi.

§. X.

Hoc scriptum ad Pontificem per Legatos delatum.

Hi articuli Legatis exhibebantur, qui exinde graviter commovebantur, non modo ex eo, quod hæc capita ad Pontificis auctoritatem restringendam, necnon ad jurisdictionem Episcoporum ampliandam spectare crederent, sed potissimum ideo magis exacerbabantur, quod novi exempli res esset, postulata sua scripto exhibere, & tam multos pro exigenda quadam re in unum congregare. Nihilominus quid consilii essent capturi, dissimulabant, rei que propositæ gravitatem caussati opportunum deliberandi spatium quærebant, interim vero alia reformationis capita a Patri-
bus

bus examinanda proponebant, mox ^{Sæcul. XVI.} autem datis ad Papam literis hujus ^{A. C. 1547.} scripti exemplar ad eundem transmiserunt, hæc exponentes: *Præsules indies magis effusam sibi licentiam arrogant, nec temperant a verbis de augustissimo Cardinalium Senatu parum honorificis, quos aperte didicant, in ordinem necessario esse cogendos: imo de Beatitudine sua minus, quam decet, loquuntur reverenter, quasi verba tantum dare studeat, & Synodum ad homines inani spe lætandos, non autem ad abusus serio reformandos, celebret, neque facile in officio postmodum contineri possunt, qui tam frequentes inter se cætus habent, & Congregationes: quam ob rem nihil nobis videtur conducibilius, quam seriam Romæ reformationem instituere, quæ etiam ante proximam Sessionem evulgetur. Eo quoque transmisimus Præsulum Hispanorum censuras, suæ Sanctitati cogitandum relinquentes, quo illorum cæpta tenderent, & quorsum possent evadere, cum verisimile non fiat, tantam rem ausuros, nisi magno aliquo Principe opitulante, ac focillante, & forte etiam instigante. Quid ab iis factum velit, ut imperet, orant; simul quid sui esset de ea re consilii exponunt. Ipsi nimirum statuunt, in sententia esse permanendum, neque parte aliqua cedendum, tum propter rei, de qua agitur, gravitatem, tum ad aditum Præsulibus præpediendum, ne, quod ultro iis*

non

Secul. XVI non conceditur, id ipsi per vim, ac seditio-
A.C. 1547. nem extorquere posse existiment: alioqui ab
 ipsorum nutu pendendum, & ne quid pe-
 jus accidat, non injuria metuendum: nam
 quando in publico disceptationibus materia
 aliqua exagitur, ipsi decreverunt, victo-
 riam adversariis non concedere: verum si
 post disceptationes cedere abnuant, tum ad
 suffragia necessario deveniendum; quæ cum
 non appendantur, sed numerentur, non te-
 mere aleam ejus eventus subeundam: quam
 ob rem quo certi esse possimus, nos Sessione
 proxima suffragiorum numero fore superio-
 res, districte imperandum iis, qui Venetias
 profecti sunt, obtentu quadragesimæ in suis
 Ecclesiis inchoandæ, sed forte absque animo
 revertendi, ut quamprimum excusatione om-
 ni seposita redeant: ea enim Sessione cardo
 ipse reformationis vertitur, idque potissi-
 mum ea parte, quæ inter Pontificem & E-
 piscopos controvertitur. Ex ejus diei suc-
 cessu, qui turbarum & seditiois sunt sa-
 ces, aut animum sumpturi ad contentiones
 aliis etiam occasionibus fovendas, aut quie-
 tos, ac morigeros se deinceps præbituri sunt.

§. XI.

*Alicæ corruptelæ circa beneficia corri-
 gendæ.*

Expectato interea Pontificis responso
 Legati in coetibus proxime sequen-
 tibus